

linguam compescere debemus, ne dum nobis mala disseminant, eorum qui audire nostra bona poterant, corda innocentium corrumpant... Hi etenim quorum vita in exemplum imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere, ne eorum praedicationem non audiant qui audire poterant, et, in pravis moribus remanentes, bene vivere contemnant... Sed in re subtili inquisitione necesse est ut semetipsum animus investiget, ne fortasse suae laudis gloriam quaerat, et animarum lucra se quaerere nostra cogitatio simulet¹. Ad hoc vero opportuna adhibeantur remedia, quae tum in propria, tum in maiorum Praepositorum admonitione vel castigatione continentur. Quod si negligatur, quum Pastores quorundam fidelium uti praeda efficiantur, omnis vitae christianae pax ac solatium, omnis immo paroeciae ordo funditus collabitur. Istis quos caritas in disciplina continere non valet, metus adhibendus. Et de hoc, opportunius, alibi².

h) Quidquid pecuniae, vel politicis factionibus inservire videtur a se atque a suis Pastor sedulo arceat, quum tum primum, tum alterum ecclesiastici regiminis haud parum noceant. Si, enim, non in capturam animarum, sed in capturam auri et argenti³ Praepositus adeo sollicitus est ut quasi mercaturam agere videatur, calumniae calumniantibusque subiacere pro certo ipse teneat. At qui festinat ditari innocens non est⁴. D. Sapientia monet, et Apostoli monitum extat: *Nemo militans Deo implicet se negotiis saecularibus ut ei placeat*⁵. Instante admoneo [D. Gregorii praeclara monita cuidam Viro audiantur] *ut non plus pecuniae quam animabus invigiles. Illud a latere inspiciendum est... quia Redemptor Noster non quaerit aurum, sed animas*⁶. *Nihil est iniquius quam amare pecuniam*⁷. — Quoad vero politicantium partium studium attinet, quum alibi [opportuni] de re sermonem instituumus⁸, hunc boni Pastoris nominis scopulum heic innuisse satis sit.

7. — *Disce, igitur, o Pastor bono flagrare praeconio, habeto testimonium bonum, custodi bonam famam: tua bona fama nullis foetoribus obscuretur, tua bona fama nullis opprobriis laceretur*⁹, et ita age ut nullam tui partem habeas obscuram. Quod, si quando proximorum utilitas, aut certa necessitas cogat, quae *sine fictione didicisti*¹, et *sine in-*

¹ *Id. Homil in Ezech. lib. 1, homil. 9.*

² Cfr. indic. alphabetic. *Personae*.

³ S. Bernard, Epist. 237.

⁴ *Prov. XXVII, 20.*

⁵ II Timoth. II, 4.

⁶ *Epistolar. Lib. V, Indict. XIII, Epist. 56 ad Marinian.*

⁷ *Eccles. VIII, 3.*

⁸ Cfr. Indic. alphabetic. *Politica*.

⁹ S. Bernardus, Sermo 66 — Cfr.

S. Laurent. Justinian. *De humilitate*, Cap. 8.

vidia subditis communices, et illius honestatem non abscondis¹ [ut Illi soli gloriam des] nemo te recte reprobabit. *Infinitus, enim, thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati*². Quod et Scriptura suadet dicendo: *Sic luceat lux vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in coelis est*³. Sancti, enim, Viri quae habent bona abscondunt et manifestare sciunt: abscondunt quippe ne per elationem pereant, sed, ne infructuosa remaneant, manifestant; dum abscondunt tunc custodiunt, sed dum manifestant fructum proferunt. Attamen si virtutes suas annuntiant, ita agunt non ut laudibus suis ipsi proficiant, sed ut subditi qui nunc ex sua laude cognoverint, ad perpetuam haereditatem veniant⁴.

8. — Conclusionis instar D. Laurentii verba audiantur: *Da, quaeso, Praesulem corde humilem, ipsumque invenies constantem in opere, laetum in corde, in sermone eruditum, compositum in moribus, in se pacificum, iucundum in facie, in regimine providum, et in omni sua actione discretum. Redarguit quidem sine passione, delinquentes punit sine vindicta, absque ulla crudelitate terret elatos. In publico quoque constitutus coram adstantibus apparet ut dominus, sed ante Deum, humilitate prostratus, iacet ut servus. Denique iniustis non flectitur precibus, nec illatis iniuriis frangitur, neque temporalium promissis movetur, sed cuncta quae agit, matura gubernatione, disponit. Habet quippe Paracletum praesidentem in se, dirigentem se, se protegentem atque docentem*⁵. Nec ad rem cuiusdam S. Viri verba recollere inutile erit: *Humilem Deus protegit, humilem diligit et consolatur; humili homini se inclinat; humili largitur gratiam magnam...; humili sua secreta revelat, et ad se dulciter trahit et incitat*⁶.

Articulus II.

DE BONI PASTORIS REGULARITATE.

Ecclesiastici Pastoris [uti aiunt] regularitas, ad argumentum nostrum quod attinet, in eius residentia et bono exemplo fidelibus praestando continetur, de quibus dicendum. Agitur, enim, de re summi momenti, quae si quomodocumque nutet, sic et totum paroeciae regiminis aedificium nutet necesse est.

¹ *Sap. VII, 14.*

² *Id. 14.*

³ *Matth. V, 16 — Cfr. I Petr. II, 12.*

⁴ Cfr. S. Greg. Magn., in *I Reg. Lib. IV, Cap. 4.*

⁵ *Op. cit. cap. 13.*

⁶ *De Imitat. Christ, lib. II, c. II, 910.*

§ I. — De Boni Pastoris residentia.

SUMMAE RERUM. — 9. Quae in re canonicae leges habeantur. — 10. De eius in paroecia residentiae necessitate. — 11. Quae ad eam effugiendam excusationes afferri soleant refutantur. — 12. De quadam ad rem praxi. — 13. Qualis residentia esse debeat.

9. — In tanti momenti re canonicas praestituere normas oportet, quae huc redeunt:

I. — Parochi, curati, coadiuti, coadiutores, jure ecclesiastico [fundato tamen, in jure divino²] non materialiter et imperfecte tantum, sed formaliter et perfecte, residentiam³ servare tenentur⁴. Ad rem:

a) Residentia materialis personalis praesentia est.

b) Formalis vere habetur cum, ad effectum servitii personaliter Parochus residet, vel eo procurante, paroeciae servitium minime desit⁵.

c) Residentia perfecta ea est qua, non tantum paroeciae intra fines, sed parochiali in domo [vulgo *canonica*] moratur Parochus.

d) Imperfecta vero habetur quum Parochus [de peculiari Episcopi venia, ad tempus et non facile concedenda⁶], quamvis paroeciae intra fines, attamen aliam domum quam praesistentem parochialem inhabitat.

II. — Legitimae Parochi absentiae causae [quae etiam per unam tantum hebdomadam, justae et graves esse debent], expresse postulatae et obtentae⁷ et non scriptis et gratis concessa [tacita et interpretativa non sufficit⁸] ab Ordinario cohonestari debent, qui peculiare in re notitias exquirere potest, et si renuerit, Parochus acquiescere tenetur. Si vere destitutas fundamenta rationes Parochus adduceret, Ordinari licentia uti invalida censi debet⁹. Legitimae huius absentiae causae huc redeunt:

a) Christiana caritas, quae locum obtinet cum gravis proximi calamitas, seu necessitas quibus alii minime occurrere possunt [prouti grave proximi damnum, conciliatio pacis, peccatorum conversio, et ita porro¹⁰], habetur. Attamen semper attente considerandum est ne, dum Parochus alienis consulit ovibus, maiora suis detrimenta afferat. In huius caritatis officiis missionariorum ministerium tunc tantum comprehendere potest quum [dioecesis intra fines] qui illud gerant minime habeantur, de quo sententiam ferre Ordinarii tantum est.

b) Urgens necessitas non ea est quae ex publica loci calamitate oritur, sed alia ex personali ratione ipsius Parochi, utpote infirmitas, persecutio personalis, et

¹ Cfr. Deshayes, *Memento*, n. 883 et seq.; Santi, *Institut*, lib. III, tit. IV, etc.

² Santi, *Institutiones*, lib. III, tit. IV, n. 7.

³ Trid. XXIII, 1; VI, 1 et 2 — S. C. C. 9 aug. 1602.

⁴ Cfr. Benedict. XIV, *Institut*. 17, § 6; Id. *Synod.* lib. XIII, c. 19, n. 2 — Lucidi, *De Visitation. Sacr. Limin.* c. 3, n. 27 — Barbosa, *De Parocho*, c. 8 ecc.

⁵ Cfr. Berardi, *Theolog. Pastor.* Cap. I, art. 6, n. 14.

⁶ *Acta* II pag. 385, 394.

⁷ *Constit. Concil. Rom.* a. 1729, 25.

⁸ Benedict. XIV loc. cit., 17 § 10.

⁹ Croix, *Th. Moral.* III, n. 738.

¹⁰ Cfr. De Santi, *Op. cit.*, n. 13.

ita porro. Nam si de communi ageretur ratione [ex. gr. pestis vel cholera tempore, belli, persecutionis contra fidem] nullo modo, nullaque ratione a sua residentia discedere Parochus potest, ne mercenarius, omnino recte, videatur¹.

c) Debita obedientia, vel Ecclesiae seu Reipublicae evidens utilitas, quae in Parocho raro habentur, et semper ab Episcopo cohonestari debent.

III. — Absentiae tempus intra quod, iuxta ac gravibus de causis, hanc veniam Episcopus concedere potest, in conciliare bimestre continetur, quod adeo cumulative sumendum est intra annum, [cum bimestre sequenti anni conjungere haud licet] ut etiam ex interpolatis unius integrae diei absentis coalescat².

IV. — Conditio sine qua non concedi haec potest licentia [praeter iuxtas ac graves nuperrime adatas causas], in eo est ut vicarium [sive e clero saeculari, sive ex altero regulari adlecto] idoneum et ab Ordinario adprobatum, cum debita mercedis assignatione Parochus relinquit³. Quae tamen ratio [ut mox explicabimus] ad immodicam Parochi peregrinationem legitimandam haud sufficit, cum sibi primario et non aliis dominicus concreditus sit grex.

V. — Poenae contra delinquentes sunt: peccatum lethale, privatio fructuum pro rata absentiae ipso facto incurrenda. Si vero, Parochus peregrinus ab Ordinario, citatus redire renuerit, censuris ecclesiasticis, sequestratione ac subtractione fructuum, atque aliis juris remediis, usque ad ipsam beneficii privationem, poterit ab Episcopo ad residentiam compelli⁴.

VI. — Peculiaribus in dioecesibus synodalia de re statuta serventur, et haec quoque peculiaris Episcopi sententia sacra inviolataque esto.

10. — Hisce positis, quaedam in re recolenda veniunt quae, ex dictis, veluti ex sua fonte, dimanant. Et in primis et ante omnia animadvertendum est, facile, absente Pastore, Ezechielis illud contingere: *Dispersae sunt oves meae, et in devoratione eo quod non esset pastor*⁵. Si, enim, Pastoris vigilantia fere omnis timor excluditur, vitia tabescunt, charitas roboratur, criminum caput diabolus gladio spiritus vulneratur⁶, e contrario, *pastorum absentia lupis invadendi gregis occasionem praestat*⁷, atque, Moyse absente, vitulus aureus adoratur, vel, absente duce, Samaritani a leonibus petuntur. Inimicus, enim, homo, circuit semper quarens quem devoret, et *qualiter ovibus curam pastoris subripiat, dum non est qui eripiat*⁸. — Nec reponat quis coeteros semper adesse coadiutores cui paroeciae cura, secundario, commissa est; nam illud *diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera*⁹ Pastori

¹ Cfr. De Santi, *Op. cit.* n. 14.

² Id. Ibid. n. 52.

³ Id. Ibid.

⁴ Cfr. *Constitut. Eugenian.* in Extra Comm. 3, *De Privilegiis* [V. 7]; S. C. EE. et RR. in *Casert.*, 10 maj 1675; Id. in *Firman.* 17 april. 1682; S. C. C. ad *Episcop. Malacitan.* 31 maj 1906.

⁵ XXXIV, 5. 8.

⁶ S. Hieron. in *Regul. Monach.*, 7.

⁷ S. Atanas. *Apolog. ad Constantin.*

⁸ S. Bernardus, Epist. 82 ad abb. Carnut.

⁹ *Prov.* XXVIII, 23.

et non aliis dictum est, ipsimet non aliis christi-fidelium curam Ecclesia primario commisit, de qua ipse primum strictissimam rationem, tremendo iudicii in die, reddere tenetur. De cetero fiduciam ac amorem quem fideles in suum Parochum habent, ut plurimum, in hos qui vicibus eius funguntur ipsos haud rependere [experientia ac usus amplissime docuere, quibus et peculiare gratiae status donum ad hoc a Deo haud tribuitur. *Qui intrat per ostium Pastor est ovium; oves vocem eius audiunt et proprias oves vocat nominatim et educit eos. Et cum proprias oves emisit, ante eas vadit et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius; alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum*¹. Idcirco pondera, Paroche, singula verba ex quibus officium animarum tibi concreditum prorsus personale esse, nec [communibus in adiunctis] ex sui natura per alium adimpleri posse facile comperies. At *mirum est* [D. Bernardinus Senensis admonet] *de aliquibus qui, remoti a subditis, volunt per ministros suscitare in peccatis mortuos, cum nec Elisaeus per Giezei potuerit suscitare mortuos, nec legitur insuper Dominus nisi praesens aliquem suscitasse*². — *Raro, igitur, progressurus egredere ut semen verbi quod sparseris, iugiter valeas excolendo rigare*³. Non itaque hospitem te paroeciam frequens discursus exhibeat, sed habitatorem potius atque domesticum diuturnae morae gravitatis ostendat; qua ratione illam a Jeremia Veteris Testamenti Patribus tributam laudem tu quoque mereberis: *Ad Sion venerunt Pastores et greges eorum fixerunt, in eo tentoria in circuitu, pascetque unusquisque eos qui sub manu sua sunt*⁴.

II. — Excusationes quae in re afferri solent paucis complectimur, scilicet:

a) Ut apostolica exerceantur, in animarum bono, ministeria, qua tamen ratione dum alienae forsitan oves curantur, propriae laeduntur. Forsan diximus, quia cui in aliena laborat messi, Divina Gratia saepe deficit, quo, labore multo, potiusquam genuini fructus, folia vepresque comparantur, et dum incertum bonum quaeritur, certum amittitur. Et de hoc jam diximus.

b) Ut a munere relaxatio aliqua habeatur, quod tamen imbecillam virtutem atque vacuum regimen ostendit, si Pastor nec ex fidelium spirituali profectu, neque obstaculis quibus occurrunt levamen dimittere suadetur; animi, enim, solatium tantum si perrarum,

¹ Ioan. XI, 10.

² Homil. 25 in feria II post III dom. quadragesim.

³ S. Petrus Damian. Opusc. 19. *De perfect. Monach.*, cap. 15.

⁴ VI, 3.

breve, legitima causa, modo et absque animarum detrimento sumptum, legitimum erit.

c) Ut Patroni ac subsidia Paroeciae comparentur; sed, assidua peregrinatio et proprii muneris negligentia, potiusquam ad utrumque punctum ferendum, ad obtreptiones sibi coetuique ecclesiastico comparandas valent. Enimvero, dum Pastor terrenis inhaerere et labentia nimis instanter quaerere cernitur, hinc inde [voce demissa] dicitur: *non sic olim loquebatur in Israel*¹. Sit itaque Deum erga, in ecclesia, ac pauperes largior Pastoris caritas, atque in centuplum eam Deus reddet.

d) Attamen frequentes epistolarum relationes cum eo qui mea vice fungit, habeo. At vero si accipere demissa per aures, ac fidelibus intueri oculis idem sit, cordati viri dicant. Saepe nimis, enim, ignorantia, negligentia vel passione, qui vices gerit adeo a latere res considerat, ut potiusquam quae reapse sint, quae videntur, ipse enarrando, et Pastorem in errorem inducat. Interdum vero et periculum est in mora, neque [ut mox diximus] subditorum fides erga Pastorem atque erga eius coadiutorem [cuius saepe iunior aetas, atque nutantior prudentia est] eadem semper habetur.

12. — Pater vero qui abest, longinquos sese habere filios [quorum ad bonum, in quantum licet ac potest, et a procul adlaborare satagat] semper meminerit. Crebras, itaque, relationes suo a supplente adeo Pastor expectet ut *quamquam corpore adesse nequeat, affectu tamen et cura, quantum potest, adsit*², et quos loca disiungant, corda appropinquent. Quod et D. consulebat Augustinus dilectis filiis scribens: *Peto charitatem vestram et per Christum obsecro ne vos mea contristet absentia corporalis. Nam spiritu et affectu cordis puto vos non dubitare me a vobis discedere posse: quamvis me amplius contristet quam forte vos ipsos, quod infirmitas mea sufficere non potest omnibus curis quos de me exigunt membra Christi, quibus me et timor eius et charitas servire compellit*³.

13. — Attamen ut suo muneri reapse Pastor satisficiat eius in paroecia residentia non otiosa, sed actiosa sit oportet: secus, enim, quamvis inibi resideat corpore, revera affectu et spiritu aberit. Quin immo, si dum Pastor abest, coeteri coadjutores eius praesentiam operamque [aliqua saltem ratione] supplere student, quum e contrario adest [ne eius provinciam usurpentur] se abstinant; quo fit ut otiosa praesentia multo magis perniciosior sit. Suo, igitur, muneri in omnibus et circa omnes [prudenter legibus servatis] in primis et ante omnia Pastor con-

¹ S. Gregorius Magn. in I Reg. Lib. IV, cap. 4.

² Loc. cit.

³ Epist. 122.

sulat; coetera vero quae vel leviter, immoderata ratione, ab officio nimis eum distrahere, et intra paroeciae fines sedulo devitet. Quamvis, enim, haec omnia nimia prima fronte videantur, attamen si animarum curae excellentissimus finis spectetur, haud nimia reapse censenda sunt. — Si vero a nobis quaeratur quaenam huius Pastoris activitatis partes sint, in primis et ante omnia in bono exemplo fidelibus praestando contineri respondemus, de quo [uti permagni momenti] sequenti in paragrapho dicemus.

§ II. — De bono exemplo a Pastore omnibus praestando.

SUMMAE RERUM. — 14. De eius necessitate. — 15. Argumenta ad rem recoluntur. — 16. Conclusio.

14. — *Talis, ut plurimum, est paroecia, qualem finxerit ac formaverit, voce et exemplo suo, Parochus. Quemadmodum enim, si Parochus sanctimonia vitae ac studio animarum eluxerit, facile continebit in officio gregem, deviosque reducere ad frugem poterit, ita, contra, si ipse officiorum suorum immemor apparuerit, is non modo nullis iam ert ad salutem gregis, sed efficacissimus ad ruinam!*¹ — Ex quibus SS. D. N. Pii PP. X apostolicis verbis, quanta Pastori immineat necessitas ut vitae suo exemplo christifidelibus omnibus praeleceat aperte evincitur. Quapropter si eius residentia necessaria est, multo magis bonum exemplum: nam prima absque altero nequior censenda est. Ut, igitur, qui illius fidei commissi sunt eos fructus percipiant quos Ecclesia Sancta sibi proposuit, Pastores diligentissime curent ut in se ipsis ad vivum virtutes expriment quas in christifidelibus requirunt, ita ut qui illi subiecti sunt, in ipsis, tamquam in speculo, expressam videant eius vitae imaginem quae illis omni studio sit effingenda, *ac quidquid agunt, quidquid loquuntur, doctrina sit inferiorum*². Meminerintque exemplum vivam esse doctrinam, nec sibi minus cum taceant quam cum loquantur esse alios ad meliorem frugem incitandos. *Habent, enim [ut magnus ille africanae eloquentiae Magister. D. Cyprianus aiebat] et opera suam linguam, habent suam facundiam tacente lingua*³. Non debet itaque ducatum suscipere qui tramite vitae melioris subiectis praeire nescit. Pastor, igitur, sui muneris momentum dignitatem que sedulo perpendat et ut assequatur fidelitate, zelo ac constantia, omni contendat

¹ Pius PP. X, Epist. *Gratiam*, ad sac. Alois. Marigliano, 8 dec. 1904.

² S. Hieronim. *Epist.* 45.

³ Epist. XXV.

nisu ut iuxta vivam D. N. I. C. imaginem, quod tota complectitur ecclesiastica observantia, exemplum vitae omnino pastoralis coniungat. Integrae vitae ratio Pastorum vox est subditis eloquentior ac suadentior ut in christi-fidelium animis virtutis amor inspiretur. Secus cereum ferenti iure meritoque aequetur Pastor, qui bonam lucem subditis praestans, se vero malis in suis consumare atque extinguere videtur. Attende igitur tibi, o Pastor, ac adeo *exemplum esto fidelium*¹, et *in omnibus te ipsum praebe* [subditis] *exemplum bonorum operum*² ut Iesu Christi nomen vitamque in te clarificentur. Enimvero *dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad extremum terrae*³ Pastori ait Deus: nimirum, in praelaturae montem te constitui ut subditis tuis supernarum rerum coelestem luciferum exemplumque exstes.

15. — Media ad bonum exemplum a Pastore gregi praebendum in altera huius operis sectione amandantes, argumenta illum suadentia ita heic complecti possumus:

a) Boni exempli debitum in animarum Pastore gravissimum est; nam *bonis subditis bene vivere ad salutem sufficit, Praelatis vero propria vita non sufficit*⁴, et ad bonum exemplum ipsis praebendum non ex caritate tantum, sed et iustitia quoque [publica uti persona] Pastor adstringitur. Christifideles, enim, omnes non solum verbo, sed et opera custodiendi, instruendi, sanandi, salvandique sunt. Uti totius vitae christianae centrum ac caput Pastor habendus est: at capite languente, et coeterae mystici paroeciae corporis partes deficiunt; unde scriptum legimus: *Omne caput languidum et omne cor moerens, a planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas*⁵. Caput namque languidum est Pastor malum christifidelibus exemplum praebens, cuius malum ad corpus pervenit, dum, eo cadente, pestiferum languorem subiectis transmittit, quo omne vitae christianae fructum, misero in modo, irreparabiliter pessumdat. Pastor, igitur, sui muneris gravitatem ac momentum, coram Domino, sedulo consideret, et an eius obligatio boni exempli animabus omnibus praebendi levis sit ipse dicat.

b) In Pastore boni exempli partes non tantum negativae, sed et positivae sunt. *Neque, enim, ab eo qui hanc curam suscepit hoc solum requiritur ut malus non sit...: verum etiam ut virtute praeslet, iuxta illud Scripturae praeceptum, quo declinare a malo et facere bonum iubemur*⁶. Non modo omnis arbor quae malum fecerit fructum, sed etiam

¹ I ad Timoth. IV, 12.

² Ad Titum, II, 7.

³ Isaia, XLIX, 6.

⁴ S. Gregor. Magn. *in I Reg.* Lib. II, cap. 3.

⁵ Isaia I, 5.

⁶ S. Gregor. Nazianzen. *In apologia*.